

## 129. 2

## Terentii comoediae sex.

Cod. membr. 135 foliorum in 4. saec. 15. in Italia eleganter scriptus. Insignia in prima pagina picta eum familiae Farnesianae quondam fuisse demonstrant, id quod confirmatur his verbis ad marginem ejusdem paginae adscriptis: „Fabii Farnesii, Bertholdi filii.“ Hunc vero Fabium, equitem Melitensem, occisum esse constat anno 1577 in obsidione Ultrajecti. Usus est codice a. 1818 Lindemannus, prof. Misnensis. Emtus est a C. A. Engelhardto a. 1797 pretio 12 Thalerorum.

Regia D 138. Falkenstein p. 254 seq.

## 130.

## Terentii comoediae sex.

Cod. chart. 94 foliorum in fol. saec. 15 in Germania exaratus. In charta inest rosae signum, quod in eis libris occurrit, qui saec. 15. Reutlingae et Norimbergae sunt impressi. Passim addita sunt alia manu scholia, e Donato potissimum deprompta. In fine libri fol. 94' legitur: Laus deo, pax vivis, et requies defunctis. Primum possessorem fuisse quendam e gente Visconti probant insignia gentilitia in prima pagina picta. Goetze hunc codicem a. 1747 emit Venetiis e bibliotheca a procuratore d. Marci, Sagredo, relicta. Contulit eum a. 1818 Lindemannus.

fol. 94. Calliopius recensui.

Elect. 46. Regia D 63. Goetze III p. 377. Falkenstein p. 255. *P. Wesner in: Rhein-Museum f. Philol. N.F. 52, S. 98, Ann. / R. Böhmer in: Fleckheims Jahrbüchern 1894, S. 74.*

## 131.

## Terentii comoediae sex.

Cod. chart. 71 foliorum in fol. anno 1423 exaratus, id quod indicant haec verba fol. 71: Completus fuit hic Terentius per me Jacobum nōt [notarium?] filium domini Petri de Ribischotis de Verona habitatorem portus die Mercurij XIII. mensis Octobris 1423. Adscripta sunt scholia quaedam alia manu.

fol. 71. Calliopius recensui.

A. 1739 J. Mthi. Gesnerus hunc codicem sibi paravit; 1782 fuit Roslebi apud F. B. J. L. Strack. In fine libri B. Wilhelm, scholae Rosleb. Conrector, notavit m. Febr. 1799 se illum contulisse cum edit. Bipontina, quam ex eo nonnullis in locis emendari posse dicit. Ad bibl. Regiam a. 1799 pretio 12 Thalerorum accessit iterumque inspectus est a. 1818 a Lindemanno.

Regia D 63<sup>a</sup>. Falkenstein p. 255.

## 132.

## Aelii Donati commentarius in Terentium (omisso Terentii textu).

Cod. partim membr., partim chart. 126 foliorum in 4. saec. 15. in Italia scriptus. Fol. 4. Andria. 33. Eunuchus. 64. Adelphi. 91'. Hecyra. 109'. Phormio. Emtus est e bibl. Amedei, canonici Bonon., per Brunellium et inspectus a. 1818 a Lindemanno.

Elect. 539<sup>b</sup>. Regia D 101. Falkenstein p. 255. *Wesner S. 96 in Böhmer S. 75 (vgl. Ms. Dc 130). / Donati commentarium Terenti rec. P. Wesner 1 (1902), S. 218.*